

DISSERTATIO EXEGETICO-THEOLOGICA;  
 DE  
**SERMONE DEI**  
**EPANORTHOTICO**  
 AD  
**C A I N U M**  
 GEN. IV: 6. 7.

QUAM  
 VENIA MAX. VENER. FACULT. THEOLOG.  
 IN REG. ACAD. ABOËNSI,  
 PRÆSIDE

**D. N. JACOBO GADOLIN**

S. S. Theol. DOCT. & PROFESS. Reg. & Ord.  
 Nec non Reg. Acad. Scient. Svec. MEMBRO,

**JOHANNES ARELIN**

Philos. MAGISTER & DOCENS

*Publice ventilandam fistit,*

*In Audit. Superiori Die XII. Maji, MDCCLXIX.*

Horis ante meridiem solitis.

ABOË,  
 Impressit JOH. CHRISTOPH. FRENCKELL.

DISSERTATIO-EXEGETICO-THEOLOGICA

18

SERMO DE  
EPANORTHOTICO

לב שמח ימים כנס  
וכצעת לך רוח נקאה

Prov. XV: 13.

Venia Max. Vener. FACULT. THEOLOG.  
in Res. Acad. Austriac.

PRÆSIDE

D. JACOBO CADOLIN

& S. Theol. DO. T. & THEOLOG. REG. & ORD.  
in Res. Acad. Austriac. VINCEN. M. M. M. M.

JOHANNES ARELIN

Publico Ordinarius  
in Aulic. Superior. Div. XII. Maj. MAGISTER  
Honi ante mensuram tollens

ABD.

impensis JOH. CHRISTOPH. FRENKEL.



I. N. 7.

§. I.

**C**um primorum parentum primi filii Cainus & Abel, in ipsa Mundi Infantia, procul dubio ex institutione divina, DEO sacra facerent publica, (a) atque Major natu Cainus deprehenderet sua munera DEUM aspernari, est ad oblationem fratris benigne respicere; Cainus, quemadmodum in Zelotypiam inclinat animus communi labe infectus, usque adeo irascebatur, ut concidens ejus vultus animi turbati indicium faceret. Hoc dum narrat Moses, addit mox admonitionem gravem, quam DEUS ad Cainum habuit Gen. IV 6. 7. Circa admonitionem hanc notat Augustinus (b) inesse ei aliquid obscuri, quod multos sensus parit, cum divinarum scripturarum quisque tractator secundum fidei regulam id conatur exponere. Immo Megalander Lutherus (c) non dubitavit dicere, gravissimam concionem hanc nullum Patrum digne expli-

A

explicasse. Lectorum benignitate ac mitiori censura fretus, quid mihi videtur de hac re, paucis exponam.

(a) De sacrificiis Patriarcharum ante latam legem Moisaicam, utrum sint divini mandati, an vero ad innocuam primi avi εθελοθρησκείαν referenda sint, lis est sub iudice. Nobis probabilior est illorum sententia, qui dicunt, hunc modum cultus divini a Deo revelatum ac præceptum esse. Quomodo enim quæso, natura duce, quispiam potuisset venire in eam opinionem, victimas ὁσμὴν εὐωδίας Deo, entī spirituali, præbere? Immolatis namque pecudum carnibus, vel oblatiis fructibus agri nihil inesse videtur, quod quis coniecere potuisset Deo gratum vel naturæ divinæ consentaneum esse.

(b) De civit: Dei L. XV. c. 7.

(c) In Enarrationibus in locum cit.

## §. II.

Ut omnibus Lectoribus mox constet, quid sit illud, de quo quæritur, ex codice Hebræo textum totum mox adferri necesse est. Apponitur versio latina, quam fieri potuit ad verbum reddita, aut, si mavis, coacta.

וַיֹּאמֶר יְהוָה אֵל קַיִן לֵמָּה חָתָךְ וְלֵמָּה נִפְלֵי  
 פְּנֵיךְ: הֲלוֹא אִם תֵּיטִיב שָׂאתָ וְאִם לֹא תֵיטִיב  
 לַפְתָּח חַטָּאת רֹבֵץ וְאֵלֶיךָ תִּשׁוּקָתוֹ וְאַתָּה תִּמְשָׁל בּוֹ:

*Et dixit Dominus ad Cain, ad quid exarsit (ira) tibi, & ad quid conciderunt vultus tui. Nonne, si benefeceris, elevare, & si non benefeceris, ad ostium peccatum*

*tum cubans; & ad te appetitus ejus, & tu domina-  
beris in eum.*

§. III.

LXX. sic reddunt: καὶ εἶπα κύριε ὁ θεὸς τῷ καῖν,  
ἵνα τί περιλύπεις ἐγὼν; καὶ ἵνα τί συνέπεσε τὸ πρόσωπόν σου;  
οὐκ εἶν ὀρθῶς προσενέγκης, ὀρθῶς δὲ μὴ διελθῆς, ἡμαρτίας, ἢ  
σὺ χυμῶν. πρὸς σὲ ἢ ἀπιστεσθῆ αὐτῷ, καὶ σὺ ἀρξῆς αὐτῷ.

Hi adeo longe recesserunt a textu Hebræo, ut dudum observarint interpretes alii, diversam oportere fuisse lectionem trium vocabulorum in codice Hebræo, quem, LXX. transtulerunt; quod nimirum legerint תתפל אוֹתָּךְ (si non recte te gesseris) *dividendo, peccavisti; quiesce.* Patrum plerique hanc translationem secuti sunt, atque in eo imprimis desudarunt, ut explicate docerent, quomodo Cain in dividendo peccaverit. Instar omnium nobis sit Augustinus. Hic vero monet, recte offerri sacrificium, quod uni DEO vero sacrificatur. Non autem recte dividi, dum non discernuntur recte vel loca, vel tempora, vel res offerendæ, vel qui offert, vel cui offertur, vel hi, quibus ad vescendum distribuitur, quod oblatum est. Itaque quia facile non potest inveniri, in quo horum DEO displicuit Cain: id vero constat, quod Caini opera Maligna erant atque ipse ex Maligno, 1. Joh. III: 12. datur intelligi, Cainum hoc ipso male divisisse, quod dedit DEO aliquid suum, sibi autem seipsum. Boni quippe ad hoc utuntur Mun-

do, ut fruantur DEO: Mali autem contra, ut fruantur Mundo, uti volunt DEO. Hanc proinde causam reddit DEUS, cur oblationem ejus accipere noluerit, dum addit: *ἡμαρτης*. Non tamen dimittit eum sine mandato sancto: *ἡσυχασον, quiesce*. Hoc præcepit DEUS Caino, qui facibus invidiæ inflammabatur in fratrem *q. d.* Manus a scelere contine, nec exhibe membra tua arma iniquitatis peccato. Rom. VI: 13. Præcepit porro, *πρὸς σὲ ἡ ἀποσεροφὴ αὐτῆ* *q. d.* peccatum seu caro, quæ concupiscit adversus spiritum, in cujus carnis fructibus etiam invidia est, debet converti ad mentem, ut dometur, vincatur, atque ab illicitis operibus ratione cohibeatur. Gal. V: 17, 20, 24. Proinde hoc in loco dictum est ad Cain de vitiosa carnis concupiscentia, quod in Gen. III: 16. de peccatrice fæmina: ubi intelligendum est virum ad regendum uxorem, animo carnem regenti similem esse. Ast Chrysostrmus τὴν ἀποσεροφὴν & ἀρχὴν non ad peccatum, sed ad fratrem refert. Sic enim inducit DEUM loquentem: *ἡσυχασον*. Εἰ γὰρ καὶ τῆς παρ' ἐμοῦ πινῆς ἤξιωται, καὶ εὐπρόσδεκται αὐτῆ γέγονε τὰ δῶρα, ἀλλὰ πρὸς σὲ ἡ ἀποσεροφὴ αὐτῆ, καὶ σὺ ἀρξῆς αὐτῆ. ὥστε καὶ μετὰ τὴν ἀμαρτίαν ταύτην ἔχειν σε συγχρησάτω προσημάτω τῆς πρωτοτοκίας, καὶ κείνου ὑπὸ τὴν σὴν ἐξουσίαν εἶναι κελύσω, καὶ ὑπὸ τῆ ἀρχὴν τὴν σὴν. (d) De hisce sufficiat notari, textum τῶν LXX, & explicationem, quæ ei superstruitur, nimis admodum aberrare a veritate Hebraica. Quod vero attinet ad jus primogenituræ, cujus tenendi cautionem, sub conditione resipiscentiæ, DEUS Caino fecerit, vana videtur

detur esse conjectura, nixa institutis Judaicis, quæ in prima ista mundi ætate non dum existebant.

---

(d) *Χρυσος, τῶν εἰς τὴν γένεσιν λόγ' ἰη.*

#### §. IV.

In versione *vulgata*, quæ Romanensibus est infar authentica, versus septimus sic legitur. *Nonne si bene egeris, recipies: sin autem male, statim in foribus peccatum aderit? sed sub te erit appetitus ejus, & tu dominaberis illius.* Hinc argumentantur: si bene egeris recipies præmium; quia DEUS ἀποδώσει ἐκαστῷ κατὰ τὰ ἔργα αὐτοῦ. Rom. II:6. Ergo fidelium bona opera sunt meritoria. Quasi vero soli gratiæ divinæ non debeantur præmia, quæ piis cultoribus suis DEUS largiturus est. Illud quoque colligunt ex hac lectione latina, itemque Græca & Hebraica, quod, ut ajunt, plurimum valet adversus nostri temporis Hæreticos: hominem esse liberi arbitrii, nullaque trahi ad peccandum necessitate, sed in eo esse peccare & non peccare, & dominari peccato, a se illud arcendo, vel ipsum admittendo. (e) Creaturæ rationalis non est, scilicet, a turbidis concitatisque animi motibus sceleribusque sibi cavere, & vitiosam vitam corrigere, nisi ex se ipsis habeant vitæ spiritualis vires, quas, ut nostrates docent, Spiritus Sanctus gratiose offert & confert omnibus non morose resistentibus. Illorum itaque argutias optime retundit Petrus Martyr his verbis: *Unde stulte illi nostri arbitrii defensores immodici hunc locum se-*

*cum facere putant. Non enim bene conficit argumentatio: DEUS hoc vel illud jubet aut hortatur ut agamus, igitur in nostra voluntate situm est & in nostris viribus positum. Nam in Ezechiele DEUS ipse qui precipit, suis pollicetur se esse facturum, ut sua præcepta compleant. (f)*

(e) Vid. Bened. Pererii Commentar. in h. l. Genes.

(f) Vid. ejus Commentarium in Genesim ad h. l.

### §. V.

Paraphrastes Chaldaeus versum septimum sic interpretatur:

הלוא אם תוטיב עובדך ישתבך לך ואם לא  
תוטיב עובדך ליום דינא חטאך נטיר דעתיד להתפרעא  
מנך אם לא תתוב ואם תתוב ישתבך לך

*Nonne, si bene egeris opera tua, dimittetur tibi? Et si non bene egeris, in diem judicii peccatum tuum servatum est, in qua futurum est, ut ulciscatur de te, si non converteris: & si converteris, dimittetur tibi. Sic itaque intellexit verba divina, ut vitæ emendationem requireret DEUS homini pœnitenti propitius, juxta sententiam Salomonis Prov. XV: 8. sacrificium impiorum est abominatio Jehovæ; sed preces rectorum beneplacitum ejus. Patet hinc simul, peccatum ante januam cubans huic paraphrastæ esse pœnam peccati, cui vindex justitia moram quidem aliquam, non vero sublationem indulget; quod ipsum S. Jacobus sic exprimit: ἵδὲ ὁ κριτὴς πρὸ τῶν θυ-*



γάρ ἰσχυρὸν cap. V: 9. Quicquid sit de vero sermonis  
 divini sensu, saltem analogiæ fidei conformis est do-  
 ctрина, quæ ista interpretatione traditur. Non tamen  
 Judæorum Magistri omnes eodem modo hunc lo-  
 cum explicant. Equis enim putabit ullum esse Scri-  
 pturæ locum, circa quem de turba obcæcata illa  
 multi non hallucinentur? Horum alii sic reddunt:  
*si bene egeris acceptabilior erit oblatio tua quam fra-  
 tris: tu enim es primogenitus.* Haud paullo saniora  
 sunt quæ alii hunc in modum habent: *Nonne si e-  
 mendaveris opera tua in seculo isto, condonabitur &  
 remittetur tibi in seculo futuro. Quod si non emen-  
 daveris opera tua in seculo hoc, ad diem judicii ma-  
 gni peccatum tuum conservabitur, & ad ostium cordis  
 quiescit. Verum tamen in Manum tuam tradidi pote-  
 statem concupiscentiæ Malæ: & tu dominare ei, sive  
 ad bonum sive ad malum.*

### §. VI.

Lutherus, ommissis aliorum, tum versionibus,  
 tum sententiis, proprietatem Hebraicam sibi sequen-  
 dam duxit. Itaque in hunc modum exposuit: *Et  
 dixit Dominus ad Cain: quare sic incensus es tu,  
 & quare conciderunt vultus tui? Nonne si bene ege-  
 ris, erit remissio, si vero non bene egeris, ad fores  
 peccatum cubat. Et appetitus ejus ad te, tu autem do-  
 minaberis ei.* Placuit autem Luthero, ut diceret  
 hæc verba esse dicta non immediate a DEO, sed  
 ab ipso Adam parente filium admonente. Ideo ar-  
 tem a Domino dici esse dicta, quod Adam jam e-  
 rat

erat justificatus & donatus Spiritu Sancto. Quæ igitur secundum verbum DEI, & ex Spiritu Sancto dixerit, recte DEUS dixisse dicatur. Sicut hodie qui docent Evangelium non ipsi simpliciter doctores sunt, sed Christus in eis loquitur. Quod attinet ad rem ipsam, Lutheri sententiam, quam prolixius & solutius dixit, paucis comprehensam sic habe. Duo sunt fundamenta, quibus investigatio sensus sermonis divini hujus superstruitur, videlicet:

1:0 Verba debent servire rebus, non res verbis. Seu, verba intelligi debent secundum materiam subjectam. Igitur in omni expositione primum videndum est, de qua re agatur. Deinde verba, si ita fert grammatices ratio, ad rem ducenda sunt, & non res ad verba. Res autem heic est, Pauli sententia universalis Rom. XIV: 23. πᾶν ὃ ἐκ ἐκ πίστεως, ἀμαρτία ἐστίν. Item illud Salom. Prov. XV: 8. sacrificium impiorum est abominatio Jehovah. Nec non illud Hebr. XI: 4. Πίστει πλείονα ἴσταν ἀβελ παρὰ καὶν προσήγυς τῷ Θεῷ, δι' ἧς ἔμαρτυρήθη εἶναι δίκαιος.

2:0 Peccatum est tam grandis res, ut nullis sacrificiis, aliisque operibus possit aboleri, sed sola misericordia, quam fide accipi necesse est. Hoc ostendit prima promissio de semine mulieris, sine quo nulla est redemptio. Præterea monet, cardinem rei in eo verti, ut intelligatur quid hoc loco significet vocabulum *אָנָשׁ אֶלְנָשׁ* levavit. Si enim vocabulum *levandi* accommodatur ad rem corporalem, significat *in altum tollere* ut Es. VI: 1. *vidi Dominum sedentem super solium אָנָשׁ אֶלְנָשׁ* excelsam & elevatum;

cum; si vero refertur ad rem spiritualem; significat remittere, tollere peccatum, ut Pf. XXXII: 1. *Beatus vir, cui נשׁוּחַת עֲוֹנוֹ remissa est pravariatio.* His positis, concludit, ignorantiae rerum deberi, quod alii vocabulum נשׁוּחַת eo accommodaverint, quasi dicatur: *tum iterum poteris erigere faciem, quæ nunc tota concidit:* alii autem hunc locum sic depravaverint: *Si bene egeris, acceptabilior erit oblatio tua, quam fratris, quia tu es primogenitus;* quia hoc in loco id potius agit DEUS, ut ostendat se primogenituræ nullam velle habere rationem. Tandem integra commentatio huc fere redit. Videt Adamus filium esse impatientem contumeliæ, dolere de amissa dignitate, atque incedere turbulentum, tristem, freudentem, ut ne parentes quidem oculis rectis inspiceret. Hunc itaque graviter objurgat, huic cum Paulo illam Evangelii vocem inculcat: qui crediderit, Salvabitur. Item: sola fides justificat. Dicit: si bene ageres h. e. si crederes, haberes DEUM propitium, remissis peccatis. Non credidisti hactenus, ideo reprobatus es. Quod si ita perges, penitus abjiceris. Quicumque enim perseverant in malo, illi quidem, instar saturæ bestiae, cubant seu quiescunt, dum committendo flagitio delectantur. Tu vero scias, in foribus, h. e. in loco non quieto, eos cubare. Fiet enim, ut peccatum occultum in lucem proferatur ac puniatur. Appetitus peccati est quidem ad te, quia concupiscit caro adversus spiritum; sed ideo, quia hunc peccati motum sentis, non damnaberis; tu modo dominare ei per fidem.

## §. VIII.

Non est operæ pretium conquirere ac proferre omnia interpretum circa hunc locum placita. Sunt enim qui absque iusta variandi causa in diversa abierunt, e. g. Cyrillus Alexandrinus, qui allocutionem divinam etjam inter geminos fratres dividit: *διεταί γὰρ τῷ καὶ, ἡμᾶς, ἡούχασον. καὶ πρὸς γε πὺν Ἄβελ. πρὸς σὲ ἢ ἀποσεφῆ αὐτοῦ; καὶ σὺ ἀρξῆς αὐτῶν.* (g) Patet vero ex iis, quæ dicta jam sunt, concisam hujus loci dictionem, & vocabulorum *πολυσημίας* variæ interpretationi locum dedisse. Exempli causa sufficit notari, unicam illam vocem *ἡούχασον* in scriptura sacra habere sex vel, ut nonnulli supputant, octo diversos significatus, quorum singuli insignem orationis sensum, Analogiæ fidei haud difformem fundunt. Sic nonnullis probatur explicatio in sequentem modum adornata. *ἡούχασον* est aliquando elevatio quoad existimationem seu dignitatem Gen. XLIX: 3: Ps. LXII: 5. Dolebat namque Cainus, se majorem natu minoris æstimari. Est igitur explicatio & verbis conveniens & re simplex, si dicatur ipsi facta promissio, de facultate exeundi ex statu contemptus atque recuperandi dignitatem, cujus amissæ ipsum tædebat. Quod dein additur: *Ad fores peccatum cubat*, eo significatur fore, ut, si ira Caini erumpat in nefandum sceus, ipse mox pœnas luat; *ἡούχασον* enim aliquando sumitur pro pœna peccati. Confirmatur hoc inde, quod Cain mox post fratricidium a DEO in exsilium relegatus fuit. Quod si postrema clausula ad Abelem referatur, tria sunt

sunt, quibus DEUS iratum Cainum mitigare, & ab hostili in fratrem odio avocare voluerit, 1:o pollicitatio præmii, 2:o comminatio pœnæ, & 3:o fratris subjectio (b). Secundum alios id, quod medio loco posuimus, aliter inflecti poterit. Nimirum תנשתן valde communiter accipitur de sacrificio pro peccato. Sacrificia autem semper ad januam tabernaculi adducebantur. Hinc reddunt: *quamvis non bene egeris, tamen.* וְכִי תִשָּׁחַת תִּפְתָּל *Adjacet foribus victimæ,* hoc est: habebis spem veniæ, modo te poeniteat (i). Verum non placet hæc explicatio, quia probari non potest, quod DEUS allocutus Cainum, seu hominem rudem, alluserit ad ritus isto tempore ignotos. Probabilior est illorum hypothesis, qui ultimam clausulam bisecant, videlicet quasi per modum quæstionis Caino objiciatur: *Aut tu dominaberis ei,* seu an in fratrem tanquam Mancipium sævias? Unde quartum refutabit argumentum, ad sedandam iram Caini idoneum.

(g) vid. ejus γλαφυρῶν εἰς γένεσιν βιβλίον α΄.

(h) Confr. Fagium in Critic. Sacr. Tom. I.

(i) vid Joh. Lightfooti Chronica temp. V. T.

### §. VIII.

Quia nonnulli magnam tribuunt auctoritatem textui Samaritano, a proposito alienum non est, eundem heic adpingi, imprimis cum non deprehenderim quenquam interpretem, qui insignem istius textus discrepantiam ab Hebræo in hoc quidem loco

notaverit. (k) Utendum vero erat characteribus Hebraeis, quandoquidem in Typographia nostra non prostant typi Samaritani.

הלואי אם תטיב שאת ואם לאי לפתח  
 חטאתי רבץ תשוב לפתח: ואלוך תשוקתי ואתי  
 תמשלי בו:—

Patet vocabulum לפתח תיטיב cum repetito לפתח translatum esse in locum alium quam in textu Hebraeo. Sic vero tam operatio mala, quam bona dicitur esse לפתח *ad fores*. In auras igitur abire videtur hypothesis eorum, qui dicunt, *esse ad fores* idem heic valere ac *esse in loco inquieto*. Si enim peccatum comitem habet inquietudinem, necesse est, ceteris paribus, boni operis sequelam esse pacem ac tranquillitatem. Ergo potius id intelligatur esse *ad fores*, quod *in aperto* positum est, quod non clausum neque reconditum est, sed in conspectu omnium quasi domum ingredientium ac egredientium, vel ex quacunque parte accedentium adstat. Hanc phraseos לפתח significationem lectione Samaritanâ confirmari nobis sufficiat. Attamen liceat addere, qua parte a Hebraica veritate recedunt verba hujus textus, hunc admittere sensum: (Annon nosti, quod) *si non* (bene egeris, sit) *peccatum in aperto positum*. (Proinde) *studebis bene agere aperte*, (ut omnes studia pietatis tua conspiciant ac colaudent.) Sed tandem nostra sententia definienda est.

(k) Non reticendum est, hæsitasse me circa hunc Textus Samaritani locum. Non enim erat mihi copia consulendi codices Mss. nec polyglotta Parisiensis, sed sola Biblia Wal-

Waltoni, in quibus textus ille comparet. Hic vero auctor, dum in Tomo VI. exhibet discrepantias Pentateuchi Samaritici a Hebraico, non annotavit transposita vel repetita in hoc nostro loco legi verba תישור לפתח; dubitavi igitur annon mendis typographicis hic dissensus tribuendus esset. At cum neque inter errata, quorum catalogum ad finem operis adjecit, hunc verborum dissensum connumeraverit; fretus fide tanti viri, atque diligentia eorum, qui simul cum ipso prelorum correctioni invigilarunt, non potui non laudinem hanc pro genuina habere, praesertim cum ipsemet conqueratur Auctor, perditum fuisse exemplar discrepantiarum harum pridem annotatarum, quas edere in animo habuerat. Est namque locus suspitioni, circa novam textuum collationem, inter innumera, satente auctore, negotia alia faciam, hanc discrepantiam intactam relictam fuisse.

## §. IX.

In interpretatione Scripturae Sacrae principem locum tenet regula: *Sensus literalis unius cujusque loci non est nisi unus*, quicquid opponant vel Romanenses ex fictorum sensuum multitudine ambiguitatem rerum propositarum colligentes; vel alii vanam forte ingenii gloriam ex cumulatis conjecturis ingeniosis sectantes. Patet vero regulam veram esse, ex conditione proborum hominum omnium sermoninantium aut scribentium, qui non possunt non certum quemdam sensum verbis suis immediate respondentem in auditorum vel lectorum animis excitatum velle. Hunc certe verborum humanorum modum adoptasse censendus est, qui *Φῶς ἰσῶν ἀπρόσῳτον* ad infirmitates humanas condescendit &

ἡ ἐπιθυμία αὐτοῦ; voluntatem suam patefecit hominibus  
 atque id curavit, ut apud eos enitesceret. ערות יחורה  
 תו נחמנה מחכימת פתו Psalm. XIX: 8. Agnoscunt or-  
 thodoxi veritatem hujus regulæ, atque gloriam e-  
 jusdem evidenter stabilitæ magno nostro Luthero  
 tribuunt. Hæc autem si alicubi, certe in hoc no-  
 stro loco præsentī ad usum adhibenda est. Con-  
 tinet enim hic locus sermonem DEI ad hominem af-  
 fectuum) æstuturbatum, qualis quidem non nisi simpli-  
 cissima oratione informari potest. Concludendum hinc  
 est ex pluribus sensibus, utcumque cum Analogia fidei at-  
 que ratione grammatica concordantibus, qui huic loco  
 ab aliis atque aliis tribuuntur, non nisi unum verum  
 esse. Præterea hinc sequitur, analogiam fidei & ratio-  
 nem grammaticam in hoc loco non sufficere uni vero  
 sensui detegendo atque agnoscendo.

### §. X.

Id vero imprimis e re est, ut ante oculos ha-  
 beantur circumstantiæ, *quis, quid, quomodo &c.* at-  
 que ut προηγμένα & ἐπόμενα rite perpendantur. Quo-  
 circa per se patet, incertum omnino manere, an is  
 sit loci cujusdam sensus, qui ex rebus vel dogma-  
 tis theologicis alibi in scriptura obvenientibus sumi-  
 tur atque in locum quæstionis infertur, dum cir-  
 cumstantiæ eum admittunt quidem non autem postu-  
 lant. Ast majori periculo erroris se exponere interpre-  
 tem, qui novas simul, in favorem explicationis suæ,  
 textui adfingit circumstantias. Illum vero certo errare,  
 qui etiam dissidentibus circumstantiis textus aliunde



rēs colligit, atque sic commentationem suam perficit. Itaque.

1:0 Concludimus non probandum esse id, quod dicitur, non DEUM ipsummet, sed Adamum hæc dixisse; nam hoc non exprimitur verbis Mosis, nec ulla adest circumstantia, quæ svadeat Adamum Spiritu Sancto instructum ista locutum fuisse. Certe tanto minus adprobanda videtur hæc hypothesis, quanto evidentius est, eam tacite quasi involvere aliam circumstantiam, itidem pro arbitrio ac sine necessitate, suppositam, videlicet notoriam, & quasi in confesso fuisse causam iræ Caini. Potius vero,

2:0 Cainus tacuisse censendus est, imo studio celasse inquietudinem animi. Non enim legitur, quod de ea questus esset, ne dum quod eam propalasset. Vultus solum dicitur, mente affectu commota, concidisse, quod etiam invitis contingit, atque tanto fere evidentius discerni solet, quanto studiosius dolor animi reconditur: Non tamen negamus, sed omnino concedimus, parentes Caini observasse demissum filii vultum, atque tantam possedisse *Φυσιολογίαν* aliarumque rerum peritiam, ut de conditione filii iudicare saltem conjecturam facere possent. (1)

3:0 Non legitur respondisse DEO quidquam; ergo obmutuit ad quæstiones divinas.

4:0 Non occurrit nomen Abelis in textu nostro; ergo præter necessitatem pronomen personale affixum in voce אֶבֶן non est ad Abelem referendum.

5:0 Quod ad religionem attinet, fuit Cainus a deo corruptus, ut ignoraret ipsa religionis principia quem admodum legitur in Psalmo. XIV: 1. *Dixit stultus in corde suo: non est DEUS.* Non enim agnoscebat DEI omniscientiam neque in homines dominium. Fuit immani ac importuna natura, ut non solum in præsentis hocce examine nihil responderet ad allocutionem divinam, verum etiam postea DEUM fannis eludere vellet. Patet hoc ex responso Gen. IV: 9. *non novi, ubi sit Abel; num custos fratris mei ego.* Confirmat hoc S. Johannes 1 Epist. III: 12.

(1) Non indigna sunt, quæ hoc loco afferantur Senecæ verba L, I. de Ira Cap. I. „Audax & minax vultus, tristis frons, citatus Gradus, inquietæ manus, color versus, crebra & vehementius acta suspiria, irascentium signa sunt.

## §. XI.

Confidimus neminem non ultro concessurum nobis esse, quod omnis *διδασκαλία* attemperari debeat ad conditionem subiecti informandi, & quod perversa incedat via, qui hominem rudiorem eruditurus priori loco proponat ea, quæ sua natura locum posteriorem postulant. Sunt enim quædam simplicia, quæ facilius admittuntur. Sunt alia altioris indaginis, quæ non nisi ex præmissis simplicioribus agnoscuntur. Sic a levioribus ad graviora progressus est Paulus, dum homines carnales docuit spiritualia. I Cor. III: 2. *γάλα ὑμᾶς ἐπότισα, καὶ ἔβρωμα. ἔπω γὰρ ἡδύνασθε, ἀλλ ἔτι ἐτι οὐκ ἔδύνασθε.* Confr. Ebr.

Ebr. V:12, 13, 14. Multo ergo magis ponendum est, DEUM, qui ordinis amantissimus est, verbi *ὁ* *δοξαίας* observasse. Hinc prono veluti alveo fluit, quod alia non propinaverit DEUS, quam quæ capere potuit Cain, & quæ ipsi inprimis ex usu erant. Itaque quia Cain respuebat fundamentum religionis, non potuit DEUS omnium primo docere eum gratiam justificantem, merito promissi feminis mulieris nixam, ceteraque quæ pertinent ad adyta Christianismi, quæ homo animalis non capit I Cor. II: 14. Instillanda ipsi potius erant *προπαιδευατά*, ut sciret esse DEUM Ebr. XI: 6. cui secreta cordium ignota non sint; ut animadverteret turpe scelus esse, abuti libero arbitrio ad fovenda vitia nefanda. Dum autem Cainus pertinaci animo repudiabat hæc simplicia ac salutaria monita, dum porcus Epicureus in stercore peccati se volutare malebat, nullatenus probabile est, mysteria regni DEI & consolatorias promissiones Evangelicas ei proponi Matth. VII:6.

### §. XII.

Quod si ergo ad hæc, quæ sic præmissa atque demonstrata sunt, conformatur commentatio in sermonem divinum; non dubitamus, verum ejusdem sensum manifestum fieri. Dixit DEUS primò: *quare (ira) exarsit tibi?* Pungit hac quæstione Cainum, qui putat commotiones animi sui non nisi sibi soli patescere. Excitat Cainum ut vel hinc suspicetur, scientiam divinam excedere scientiam humanam. Quærit, ut respondeat ac fateatur Cainus, quid se-

creto cogitet. Quærendo simul demonstrat, sibi competere dominium in hominem. Ast perstat Cainus immobilis in sua sententia, avertit animum a perpendendis verbis Dei, omnium autem minime in mentem suam venire id patitur, quod occulta cordis sui DEO pateant. Tum vero DEUS, prouti est summe misericors, altius quasi condescendit ad miserabilem infimam conditionem hominis, atque mox addit quæstionem alteram: & *quare conciderunt facies tuæ?* Est quidam parallelismus inter has prolatas quæstiones atque bina illa effata divina, quæ post commissum fratricidium Caino proposita leguntur, videlicet dum DEUS primo quærit: *quid fecisti?* &, tacente ad hoc Caino, mox addit: *est vox sanguinum fratris tui clamantium ad Me de terra.* Utrobique reus non confitetur, sed occultare studet culpam; & utrobique DEUS producit rem externam testem, ut vel sic extorqueat confessionem. DEO non erat opus testibus. Neque Caino opus erat testibus eum in finem, ut ipsi in memoriam revocarent scelus olim commissum forte oblivioni traditum. Agitur enim de culpa præsentis, quod nimirum toto animo esset a DEO averfus, atque teterimo affectu fædatus. Eum ergo in finem adducit DEUS testes, ut discat & agnoscat Cainus, DEO perspectam esse culpam, h. e. in terminis, generalioribus DEUM, qui oculos, vultum, frontem atque totum hominis corpus formavit, eique facultatem motivam indidit, immo & animam rationalem ipsi esse iussit, *nihil eorum quæ in homine fiunt, latere posse; vel gene-*

ne-

neralissime, prouti ad fundamentum religionis ponendum atque hominem irreligiosum in viam rectam ducendum requiritur, *DEUM esse hominis Dominum, eumque omniscium.*

Pie veneranda, non autem, quemadmodum faciunt homines profani, explodenda est œconomia illa, qua usus est DEUS in annuncianda ac conferenda sua gratia, iudiciisque suis habendis prima ista ætate mundi. Sic in præsentī nostro loco, DEUS non utitur propositione generali, *omniscium se esse*; sed inculcat, Caini cogitationes esse quasi in conspectu suo. Hoc enim sufficere potuit ad flectendum Cainum, nisi se morose indurasset. Similiter dum post lapsum protoplastorum, jus dicendum erat, non ut omnipræsentem se exhibuit DEUS, sed præmissa voce, tanquam ambulantis in horto, adventum suum indicavit, atque e latebris protoplastos ad comparandum citavit. Sufficiebat namque cognosci, non dari refugium a iudicio divino.

### §. XIII.

Porro dum Cainus, tanquam surdus obmutescit ad quæstiones divinas, pergit DEUS dicendo: *nonne si benefeceris - - - (est) cubans.* Circa hæc imprimis verba in diversas partes abiere interpretes. Ut planior fiat res pauca adhuc præmittenda. Quum DEUS mox post lapsum habebat iudicium, protoplasti non tergiversabantur in dandis responsis ad quæstiones quaslibet propositas. Hinc factum est, ut, finito examine, de singulis clausam

sententiam pronuntiaret Vindex justissimus, neque reos confitentes poenitentesque nisi multa spe ple- nos dimitteret idem Miserator largissimus. Ast in præsentî hoc casu plane diversa res agitur. Com- paret reus, qui facit exceptionem fori. Homo im- pius non submittit se judici omnipotentissimo. Di- gna sunt, quæ hic apponantur, verba Cel. JO. HENR. MALL. „Cain, satanam secutus & ab eo „seductus, primum inter Atheos, hypocritas & Epi- „cureos locum meruit. Siquidem vera sunt, quæ „Targum Hierosolymitanum & Jonathan de collo- „quio inter Cainum & Habelem referunt, iste de „religione cum fratre disputans inter alia dixit: „non est iudicium, neque iudex, neque seculum aliud, „neque vindicta sumetur ab impiis, neque in misericor- „dia creatus est mundus, neque misericordia guberna- „tur. - - - Sane re ipsa satis probavit pesti- „mus homo, quod nec iudicem DEUM crediderit, „aut *ισοδαιμόνιον*, nec iudicium ejus metuerit. „ (m)

In extremo quidem iudicio peremptoriâ sententia da- mnaturus est DEUS pervicace peccatores quoslibet; sed vero intra hunc vitæ ter inum, non omnem iis gratiam subtrahere solet. Igitur ut gratia Spiri- tus Sancti applicatrix non tollit vel subvertit usum facultatum animæ rationalis, sed emendat, erigit atque perficit, ita in convertendo homine impio non potest non omnium primo versari in tollendis illis obstaculis, quæ genuinum atque divinæ volun- tati conformem usum facultatum animæ immediate impediunt (§. XI.) Itaque ut ad Cainum nostrum

redeamus, rumpendus ante omnia erat obex ille, quo omnem quasi aditum ad religionem sibi interclusum tenuit. Demonstravimus autem, in eo offendisse Cainum, quod Dominum omniscium non agnosceret; itemque in hoc lapide removendo frustra hactenus laboratum fuisse. Quod si vero ad hæc verba DEI allata attendimus, eademque cum iis, quæ præcescere conferimus; manifesto patebit, in eodem, quo cœpit, argumento iaculando DEUM et jamnum persiltere. Dixerimus esse *ἐπιπονήν orationis*, atque argumentum per partes oppositas explicatius reddi.

---

(m) in Oeconomia Judiciorum diu. P. I, c. IV. §. 2.

#### §. XIV.

Vocabulum *נפש* adest quidem in textu solitarii, adeo ut in ejus constructione simul non sit expressa res, quæ *levabitur* aut *sursum tolletur*: attamen in iis, quæ proxime antecedunt, sit expressa mentio rei dejectæ, aut deorsum quasi pressæ: *cur conciderunt vultus tui?* Sua ergo sponte se heic offert objectum verbi *נפש*. Accedit, quod eodem hocce verbo in aliis Scripturæ locis exprimentur gestus capitis, & quidem quatenus comitantur animum affectibus motum sic Ps. **XXCIII**:3. *feroces ac audaces oses DEI dicuntur tollere caput.* Judic. **VIII**:28. dicitur de Midianitis superbia elatis, quod postquam sævam cladem accepissent ita humiliati sint, ut amplius non *adderent efferre caput suum.* Immo de ipso vultu nominatim adhibetur idem hocce verbum **II Sam. II**:22. Item **Num.**

VI, 26. per metaphoram, DEUS dicitur *attollere vultum* in eos, quos diligit. Quid igitur quæso opus est, e longinquo arcessere objectum orationis ad vocem  $\text{ἰσχυ}$ , dum in propinquo, atque intra textum adest, quod, non coactio aut fictitio, sed nativo sensu eidem voci respondet? Quod itaque jam attinet ad sensum ulterioris hujus orationis divinæ; notandum est, DEum amplioris explicationis gratia dividere actiones hominis in duas partes oppositas, nimirum in bonas & malas. De illis primo dicit: *nonne si benefeceris, levatio*, quasi dicat: *scias me in rem presentem non citasse testem incertum. Vultus enim est omnino index animi. Si ergo esses tibi conscius recti, utique erecta esset frons tua.* De altero genere actionum, malarum puta, simul addit: *si vero non benefeceris, ad ostium peccatum, (est) cubans.* Hoc est: *si pravitati studes, si adfectibus iræ ac invidiæ indulges; etiam hoc peccatum, seu hæc animi pravitas in aperto est, quia nimirum vultus demissus, qui in te conspicitur, animi pravitatem illam testatam reddit.*

At, quod ultimo loco posuimus *ad ostium peccatum est cubans*, idem heic valere, ac si dicatur, *peccatum emicat ex oculis, perspicitur ex fronte, proditur vultu, qui est imago animi atque tacitus sermo mentis*; hoc forte ulterius probandum est. Idem vero facile patet, si modo, præjudiciis sepositis, evolvantur simplices ideæ verborum, quæ in figurata orationis parte hæc occurrunt. Per  $\text{ἰσχυ}$  fingitur peccatum quasi substantia existens. Idem dicitur *cubare*, quo eodem vocabulo res & animatæ & inani-



nimatæ cubare aut jacere dicuntur. Denique dicitur  
 cubare ad ostium. Vocabulum פתח significat fores pro-  
 prie sic dictas, seu foramen illud, quod operculo seu  
 janua claudi solet. Non additur, cujus rei aut æ-  
 dis fores intelligantur. Sed plana res est, modo ne  
 relaxemus fræna phantasiæ, ut ad aliena aut nimis  
 remota excurrat. Salomo in Proverbiis rem dissi-  
 milem figura simili depingit. Inducit sapientiam in  
 locis excelsis, vicis, via, semitarum bivio, plateis at-  
 que ostiis portarum urbis vociferantem atque cla-  
 mantem. Ne quid jam dicamus de sapientia divi-  
 na illa quæ œconomiam salutis restaura-  
 tæ specialiter curat, sic omnino & cœlum &  
 terra enarrant gloriam DEI, ut ex operibus divinis  
 ubique obviis elucescat ejus summa bonitas & sapi-  
 entia. Nulla existit res creata, quæ non fert testi-  
 monium perfectionum divinarum, nulla, quæ non  
 exhibet incitamenta ad colendum Creatorem atque  
 vitam piam agendam. Dicit itaque Salomo hæc te-  
 stimonia esse ubique; ideoque sapientiam non esse locis  
 clausam, sed in omnium conspectu sitam. Colligi-  
 mus hinc, quid tenendum sit de opposita stultitia,  
 seu Caini peccato, quod itidem dicitur in foribus  
 esse. Occultat id Cainus, adeo ut nequidem DEO  
 interroganti confiteatur. Habet Cainus peccatum  
 suum a communi luce seclusum, atque pectore ab-  
 sconditum (n). Ast urget DEUS, totum quantum sibi  
 perspectum illud esse; atque hinc facto quasi ostio  
 aut foramine in pectore ad januam patentem cu-  
 bare phrasi Hebraica illud dicitur, dum vultus index  
 ejus-

ejusdem simul narratur. Directius rem exprimunt Latini, qui dicunt vultum & frontem esse animi januam. (o) Immo vero sunt, qui פתח ostium cordi vel animo hominis tribui pie monent ex. gr. Psalm. XXIV: 7, 9. Simili metaphora græce dicitur homo habere *τὴν θύραν* januam Apoc. III: 20. Sed hæc loca de cetero non tangunt præfens nostrum argumentum.

---

(n) Cainus non profitebatur atheismum. Sacrificabat enim DEO simul cum fratre. Id igitur potius agebat, ut ab omnibus haberetur pius atque sanctus. Ecquis ignorat etiam nostro hocce ævo existere homines impiissimos atque a Christiana caritate alienissimos, qui tamen speciem atque opinionem sanctitatis atque justitiæ & affectant & apud multos retinent. Solide, uti solet, hac de re tali loquitur Lutherus „Habet quidem secunda quoque tabula suum fucum „ & hypocrisin, sed nulla ea est comparatio ad primam. Adulter, fur, homicida potest latere aliquandiu, sed non „ semper. At peccata primæ tabulæ fere manent occulta specie sanctitatis, dum ea DEUS revelat. Impietas enim „ numquam vult haberi & esse impietas, sed pietatis & religionis laudem aucupatur, & ita pingit cultus suos, ut veri cultus & vera religio præ eis sordeant, „ Comment in Gen. C. VI.

(o) Q. Cicero de Petit. Consul. c. XI. „Cura ut aditus ad te diurni atque nocturni pateant: neque foribus „ solum ædium tuarum, sed etiam vultu & fronte, quæ est „ animi janua; quæ si significat voluntatem abditam esse ac „ reclusam, parvi refert, patere ostium, „

## §. XV.

Sunt procul dubio, quibus non placet hæc interpretatio. Dicent forte, jejunam esse orationem, in qua idem motus corporis toties citetur; e contrario Majestaticam fieri, si sublimioris doctrinæ capitibus refertam esse ponamus. Næ hi vehementer errant. Quis ignorat sententiarum *πλεονάσεις* in scripturis sacris non esse infrequentes. Neque vero demissio vultus est quædam actio moralis, quæ immediate dependeat ex arbitrio hominis. Per se itaque demissio hæc tanquam crimen quoddam, non obicitur Caino. Citatur potius in testimonium veri criminis. Quis autem dixerit, testimonia contra rem pervicacem non nisi leviter ac defunctorie attingi debere? Probabile est, Cainum ipsummet habuisse quemdam sensum mutationis, quæ in vultu ejus facta erat; ut assolet sanguinis motum sentire eos, qui culpa pallefcunt aut erubescunt. Hoc meminisse Cainum expediebat. Saltem non oportebat non credere DEO, qui hoc testabatur. Magni momenti res erat, fundamenta religionis jacere homini irreligioso. Magnum proinde erat argumentum gratiæ, quod homini surdo aurem sapius velleret DEUS. Illa potius interpretatio jejuna est dicenda, quæ fingit orationem plenam rerum, quas capere plane non potuit auditor.

## §. XVI.

Sequuntur, & *ad te appetitus* &c. Continuatur  
 D in

in hisce verbis *πρασπειρία* peccati. Dicit DEUS, peccatum id agere, ut se totum convertat ad nutum atque voluntatem Caini, hoc est: in potestate Caini omnino esse, ut peccet, modo velit & audeat. Monet vero Cainum, ut peccato dominetur. Non agitur hoc loco de viribus liberi arbitrii illis, quæ per gratiam regenerationis instaurantur. Id enim esset, surdo fabulam narrari. Solum dicitur, posse homines abuti libero arbitrio isto, quo pollent ad committenda peccata; ipsosque esse *αιναπολογητες*, qui vitiorum illecebris se dederint.

## SOLI DEO GLORIA.

## CORRIGENDA.

- Pag. 3. lin. 6. lege *διέλεγε* l. 11. l. quem LXX  
 p. 4. l. 25. l. *ὕπὸ τῆν*  
 p. 10. l. 7. l. *καὶν*  
 p. 11. l. 18. l. resultabit  
 p. 18. l. 24. l. *foedatus* ibid. l. 26 l. terminis  
 generalioribus,  
 p. 19. l. 25. l. res,  
 p. 20. l. 21. l. *pervicaces* ibid. l. 22. l. terminum

